



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentis Jesu Christi Dei-Hominis

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723

VD18 80217931

§. IV. De Scientia experimentalis Jesu Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45509

Verum non ita se habet cum scientia experimentalis, quam paulatim trahebat ex objectis exterioribus, per usum suorum sensuum, sicut alii omnino infantes. Siquidem negari non potest, ipsum profecisse indies in

hoc scientiæ genere, juxta quod indies novas capiebat experientias. Hæc est illa scientia experimentalis, quæ constituit quartam & ultimam portionem thesauri intellectus sui. Ecce quid exin comprehendere possimus.

ARGUMENTUM.

§. 4. De Scientia experimentalis Jesu Christi.

Anima nostra agit cum Deo & creaturis modo diverso.

Anima nostra, quæ medium tenet locum DEum inter & creaturas, eòquod sit infra Deum, & supra omne id, quod DEus non est, potest agere & conversari cum ambobus. Ut conversetur cum Deo, qui purus est Spiritus, habet intellectum suum, qui totus spiritualis est; & ut agat cum creaturis, quæ materiales sunt, habet sensus suos, qui sunt corporales. Ipsa agit cum Deo, ad recipiendum ab ipso cognitiones, ipsa agit etiam cum creaturis ad recipiendum ab illis cognitiones; & quia vita animæ est ipsius cognitio, trahit hanc ex omni parte: Id quod anima nostra recipit à Deo per intellectum suum, est fides vel scientia infusa in vita hac præsentis, & post hanc visio ipsius beatifica, id quod recipit à creaturis sunt cognitiones experimentales, quas trahit ad se ab extra per sensus.

Sanctissima anima Jesu Christi, quæ ejusdem naturæ est cum nostra (quamvis perfectionis

longè sublimioris super reliquas omnes) habet intellectum suum totum spiritualem ad agendum cum Deo Patre suo; habet etiam sensus suos corporales, ad agendum cum creaturis suis: & per hoc commercium, quod magna hæc anima habere voluit cum parvis creaturis, acquisivit scientiam experimentalem: siquidem propriis suis experientiis probe cognovit malitiam hominum se persequentium absque intermissione: cognovit per experientiam dolores passionis suæ fuisse amarissimos, & ut Scriptura loquitur, *didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Quis diffitebitur, quin hæc experientiæ, quas habuit, boni & mali, sensibiles hæc cognitiones, quæ multiplicantur & augebantur indies, pepererint ipsi scientiam semper novam, semperque majorem.

Sed experientia nostrorum sensuum, reverà non est scientia, objecit desuper Philemon. Siquidem imprimis omnes nostri

Jesu Christi habuit cognitiones experimentales.

Hebr. 5.

stri sensus tam sunt imperfecti, ut decipiantur omni momento, & sapius in errorem inducant animam, si referat se ad ipsos. Et deinde id, quod cognoscimus per nostros sensus, non est nisi apparentia & externa rerum superficies, & non propria ipsarum natura, quæ sæpe tota est alia, quàm appareat: se enim simulare nosque decipere amat natura. Non est igitur scientia certa, tenuis hæc, quam recipimus à sensibus, cognitio, sed ad summum aliqua est conjectura. Et tandem ea, quæ nostri percipiunt sensus, non sunt nisi res singulares, & plerumque transitoria, quæ objectum non sunt scientiæ, cum hæc requirat res universales & invariables.

An experientia vera fuerit scientia in Jesu Christo,

Fateor hæc omnia, respondet Ecclesiasticus, si loquaris de hominibus in communi; sed respectu Jesu Christi benè dici potest, ipsius cognitiones experimentales, fuisse tot scientias veras, ob rationes omninò contrarias. Si quidem imprimis omnes ipsius sensus erant tam perfecti, ut nunquam deciperent, nec in errorem ipsius inducerent animam, representando ipsi unum pro altero. Secundò licet per sensus non perciperet nisi externam superficiem rerum, non magis quàm nos; nihilominus discernibat tam perfectè mendacium à veritate, ut simplici rerum aspectu

cognosceret earum naturam. *In* Marci 16. *ruitus eum dilexit*: Cum duntaxat v. 21. vidisset illum, cognovit ipsum optimè & amavit. Et tandem, licet ea omnia, quæ cadebant sub sensus ipsius, essent res singulares, sufficit, quod tantum cognoverit ipsas, quantum erant cognoscibiles, ad fundendum desuper unam scientiam experimentalem.

Concesserim, quartam hanc ^{Excellentia} scientiam æqualem non esse in ^{scientiæ experientialis in} excellentia tribus aliis; sed vide ^{Jesu Christo} tur, ipsam ratione quâdam magis esse amabilem. O Jesu! adoro scientiam tuam beatam, revereor scientiam tuam infusam, admiror scientiam tuam acquisitam; sed amo super omnia scientiam tuam experimentalem, cum per illam præcipuè tantum cum familiaritate volueris agere cum miseris tuis creaturis. Dignatus quidem fuisti nos intueri, nobiscum loqui, nostra audire verba, vivere nobiscum, nostrum comedere panem, nostram attingere terram, nostrum respirare aërem, nostrum aspicerre lumen, eisdem uti elementis nobis communibus; sed quod majorem ciet admirationem, in societatem nostrarum voluisti venire miseriarum humanarum, & ipsemet illarum sentire magnitudinem propriis tuis experimentis. Enimverò tu ipse sustinisti sitim, famem, calorem, frigus,

gus, lassitudinem, dolores, persecutiones, injurias, captivitatem, calumnias, oppressionem summæ injustitiæ maximam, & denique omnis generis usque ad mortem sævitiæ ac immanitates.

O Bonitas! Bonitas infinita! quid affligi debueras scientiâ hâc tam amarâ, nisi fuisset ad ulciscendum in te ipsa injuriam, quâ proto-parentum nostrorum curiositas affectit DEum, dum scire voluerunt bonum & malum, contra ipsius mandatum? quid addiscendum habueras propriis tuis experimentis omnes nostras miseras humanas, quæ nec unquam appropinquare debebant tabernaculo tuo, adorandæ personæ tuæ, nisi ut doceres porta-

re nos nostras patienter ex amore tui, sicut tu illas voluntariè assumpisti ex amore nostri? sed quomodò non vellem ex toto corde meo experiri pondus crucis tuæ, cum tu volueris tanto cum amore portare pondus crucis meæ.

Sufficit, dicit hîc Philemon, satis superque modo cognovi, in Jesu Christo absconditos esse omnes thesauros scientiæ & sapientiæ DEI; & abundè satisfactum mihi, quòd aliquantulum cum otio licuerit considerare præcipuas quatuor portiones divitis hujus thesauri. Sed cur non omnes ejusdem tenentur desiderio? Cur plerique hominum ipsum ignorant, imò etiam contemnunt?

ARGUMENTUM.

Scientia Jesu Christi est excellentissima, quæ esse possit in mundo, ex parte principii, unde procedit.

ARTICULUS III.

NON immeritò admiraris Philemon, respondet doctus noster Ecclesiasticus, ex eo, quòd omnes in mundo homines non oblectentur plurimum pulchritudine scientiæ Jesu Christi, ut more discipulorum sequantur vestigia ejus. Contemnitur facile magister rudis & expertus doctrinæ qui munus sibi arrogat instruendi alios; sed quando cognoscitur excellere sapientiâ &

eruditione, virtute & animi magnitudine alios, respicitur cum reverentia, veluti res quæpiam divina: accurritur sponte ipsius admittuntur dogmata, & quæcunque ex ipsius proficiuntur ore, recipiuntur velut oracula.

Hinc est, quòd Trismegisti, Pythagoræ, Socrates, Platones, Hesiodi, Catones & tot alii sint habiti velut Præceptores mundi, majusque obtinuerint imperium

N n n

in ani-

Cur omnes
Legislatores
persuaserint
hominibus,
leges suas
proficisci à
DEO.